ANNO DOMINI DCCCXL.

DODANA *SIVE* DUODENA

NOTITIA HISTORICA.

DODANA, sive DUODENA, femina pia, inquit Fabricius (*Bibl. med. et inf. Lat.*), quæ Bernardo duci Septimaniæ, comiti Barcinonensi, sancti Wilhelmi filio nupsit, anno Christi 814. Ejus *Libellum manualem* ad Wilhelmum filium vulgavit Mabillonius, sæc. IV Act. SS. ord. S. Benedicti, ex quo illum recudimus cum hiatibus in manuscripto exstantibus. EDIT.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

INCIPIT

LIBER DODANÆ MANUALIS

Quem ad filium suum direxit WILLELMUM

Cernens plurimos cum suis in sæculo gaudere proles, et me Dodanam, o fili Willelme, a te elongatam conspiciens procul, ob id quasi anxia et utilitatis desiderio plena, hoc opusculum ex nomine meo scriptum in tuam specie tenus formam legendum dirigo: gaudens quod, si absens sum corpore, iste præsens libellus tibi ad mentem reducat quid erga me, cum legeris, fili, debeas agere.

PRÆFATIO.

Anno feliciter, Christo propitio, XI, domino nostro Ludovico quondam fulgente in imperio, concurrente VIII Kalendarum Julii die, in Aquisgrani palatio, ad meum dominum tuumque genitorem Bernardum legalis in conjugio accessi uxor; et iterum in XIII anno regni ejus, III Kalendarum Decembrium, auxiliante, ut credo, Deo, tua ex me, desideratissime fili primogenite, in sæculo processit nativitas. Volvente itaque et crescente calamitatis miseria hujus sæculi, inter multas fluctuationes et discordias regni, imperator prædictus viam omnium isse non dubium est. Nam infra XXVIII regni ejus non perveniens ad summum, vitam sæculi debitam finivit. Post mortem quoque ejus in anno sequente nativitas fratris tui, qui ex meo post te secundus egressus est utero, XI Kalendas Aprilis in Uzecia urbe, Deo miserante, exorta est. Etenim parvulum illum, antequam baptismatis accepisset gratiam, dominus et genitor utrique vestrum B. [Bernardus] una cum Elefanto prædictæ civitatis episcopo, et cum cæteris fidelibus suis, in Aquitaniæ partibus ad suam fecit adduci præsentiam. Sed cum diu ob absentiam præsentiæ vestræ, sub jussione senioris mei, in prædicta cum agone illius jam gaudens residerem urbe, ex desiderio utrorumque vestrum hunc codicillum secundum parvitatis meæ intelligentiam tibi transcribi et dirigere curavi.

ITEM EJUSDEM.

Licet ex multis sim occupata angustiis ut tuum aliquando intuear aspectum, tamen hæc una secundum Deum in arbitrio Domini constat priori. Volueram quidem, si daretur mihi virtus de Deo, sed quia longe est a me peccatrice salus, volo, et in hac voluntate meus marcescit animus. Audivi enim quod genitor tuus Bernardus in manus domini te commendavit Karoli regis. Admoneo te ut hujus negotii dignitatem usque ad perfectum, voluntati operam des. Tamen, ut ait Scriptura, primum in omnibus regnum quære Dei, et tunc adjicientur ea quæ necessaria sunt animæ et corpori tuo fruenda feliciter.

INCIPIUNT

CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. De diligendo Deum.
II. De quærendo Deum.
III. De magnitudine Dei.
IV. De altitudine Dei.
V. Item ejusdem de Deo.
VI. Item moralis ejusdem.

Digitized by Google

VII. Admonitio ejusdem.
VIII. De sancta Trinitate.
IX. De fide, spe et charitate.
X. De reverentia orationis.
XI. Item ejusdem.
XII. De reverentia erga genitorem tuum.
XIII. Item ejusdem de patre.
XIV. De exemplis Patrum piorum accipiendis.
XV. De seniore tuo, alia, alia.
XVI. De consilio accipiendo, alia, alia.
XVII. Item ejusdem de consiliariis, alia, alia.
XVIII. Admonitio singularis ad te revertendam.
XIX. Ad propinquos seniorum tuorum, alia, alia.
XX. Ad optimates ducum ejusdem.
XXI. Ut sacerdotibus honorem impendas.
XXII. Ut animum magnis et minimis flectas.
XXIII. Ejusdem admonitio ad mores corrigendos.
XXIV. Item ejusdem de quo supra alia.
XXV. Ut superbiam fugias.
XXVI. In septemplici dono sancti Spiritus militare. Item ejusdem.
XXVII. Admonitio utilis ad comprimenda vitia.
XXVIII. Ut contra vitia virtutes opponas.
XXIX. Ut patientiam mentis et corporis teneas.
XXX. Ut octo vitia vincas, octo beatitudines ore lege, et corde retine semper.
XXXI. Ut pauperibus, cum valueris, adjuves.
XXXII. De diversis tribulationibus si tibi evenerint.
XXXIII. De reconciliando si aliquid deliqueris.
XXXIV. De diversis beatitudinibus si tibi evenerint.
XXXV. Si tribulatio fuerit.
XXXVI. Si persecutio fuerit.
XXXVII. Si necessitas fuerit.
XXXVIII. Si angustia ingruerit.
XXXIX. Si infirmitas. Item ejusdem.
XL. Ut in omnibus Deo gloriam des.
XLI. Item comparatio sex et octo beatitudines virtutum conferentium tibi.
XLII. Ut vir perfectus esse valeas admoneo.
XLIII. Ut quomodo esse possis immaculatus juvante Deo ostendo.
XLIV. De septem compositis partibus hisque in te peccaverint, ut dimittas, proponendum.
XLV. De gemina nativitate scienda.
XLVI. Ut in prima nativitate vigeas opto.
XLVII. Ut in secunda perseveres admoneo.
XLVIII. De prima et secunda morte.
XLIX. Ut mortem primam conspicias denuntio.
L. Ut mortem secundam fugias certare.
LI. Ut intellectione et oratione vigeas admoneo.
LII. De præteritis, præsentibus et futuris.
LIII. Qualiter pro omnibus gradibus Ecclesiæ ores insinuo.
LIV. Pro episcopis et sacerdotibus.
LV. Pro regibus et sublimitate eorum.
LVI. Pro seniore tuo.
LVII. Et pro genitore tuo assidue ores admoneo.
LVIII. Item pro omnibus qui sequuntur, conclude in hoc ubi dicitur: et pro omni populo sancto Dei.
LIX. Ut pro omnibus fidelibus defunctis ores, pro valde bonis, et pro non valde bonis.
LX. Pro immeritis digna invenies quid agas.
LXI. Pro defunctis parentibus genitoris tui ora.
LXII. Pro domno Theoderico quondam, et pro omnibus iterum defunctis, ut requiescant in pace.
LXIII. Item specialiter pro patre.
LXIV. De articulis et metrorum compositis.
LXV. De litteris Adam et ejusdem sensibus.
LXVI. De quinquies ternis benedictionibus in te florentium et manentium semper.
LXVII. Item de eadem re ad eumdem.
LXVIII. De temporibus tuis. Item ejusdem.
LXIX. De versis et litteris compositis tuis.
LXX. Post verba præscripta de re publica.
LXXI. Ut pro me tam in corpore volvente, quam et post funebre sepulcri, pro salute animæ meæ exores rogo.
LXXII. Nomina defunctorum subtus transcripta.
LXXIII. De epitaphio sepulcri mei ut scribas rogo.

CAPUT PRIMUM.

De diligendo Deum.

Diligendus Deus atque laudandus, non solum a supernis virtutibus, sed etiam ab omni humana creatura, quæ graditur super terram, et ad superos tendit. Inter quos adhortor te, fili W., ut in quantum vales, illa semper perquiras, ubi cum dignis et aptis Deumque diligentibus, ad certum possis scandere culmen, atque una cum illis ad regnum valeas pertingere sine fine mansurum. Amen.

Item rogo et humiliter suggero tuam juventutis nobilitatem, quasi præsens, nec non etiam illos, ad quos hunc libellum ostenderis legendum, ne me damnent vel reprehendant pro eo quod sim temera in tali subintrare agonisatorio acumine laboris, ut tibi aliquid de Deo dirigere audeam sermonis, etc.

CAPUT VII.

Item admonitio ejusdem.

Admoneo te etiam, o fili mi W., pulchre et amabilis, ut inter mundanas hujus sæculi curas, plurima volumina librorum tibi acquirere non pigeas, ubi de Deo creatore tuo, per sacratissimos doctorum magistros aliquid sentire et discere debeas, plura atque majora quam supra scriptum est. Ipsum obsecra, dilige et ama. Quod si feceris, erit tibi custos, dux, comes, patria, via, veritas et vita, tribuens tibi prospera in mundo largissime, et omnes inimicos tuos convertet ad pacem. Tu autem, ut scriptum est in Job, accinge sicut vir lumbos tuos; sis humilis corde, castusque et corpore, atque erectus in sublime, esto gloriosus valde et speciosis induere vestibus. Et quid plura? Hortatrix tua D. [Dodana] semper adest, fili; et si defuerim, deficiens quod futurum est, habes hic memoriale, libellum O. M. B., ut quasi in picturam speculi, me mente et corpore legendo et Deum deprecando intueri possis; et quid erga me obsequi debeas, pleniter intueri potes. Fili, habebis doctores qui te plura et ampliora utilitatis doceant documenta; sed non æquali conditione, animo ardentis in pectore, sicut ego genitrix tua. Fili W. primogenite, hæc verba a me tibi directa lege, intellige, et opere comple, fratremque tuum parvulum, cujus modo inscia sum nominis, cum baptismatis in Christo acceperit gratiam, insinuare, nutrire, amare, ac de bono in melius provocare non pigeas; atque hunc codicillum Manualis a me comprehensum, et in tuo nomine conscriptum, cum perfectum loquendi vel legendi acceperit tempus, illi ostende, et admone legendo; caro enim et frater tuus est. Admoneo vos, jam quasi utrosque ego D. genitrix vestra, ut inter mundanas sæculi curas oppressi, saltem ad tempus sursum teneatis cor. Aspicite regnantem in cœlis illum qui dicitur Deus. Ipse vos omnipotens, cujus quanquam indigna mentionem facio, frequens una cum genitore vestro domno et seniore meo B. in sæculo præsenti faciat felices atque jucundos, prospere in omnibus agentes, et post expletum hujus vitæ cursum, notum faciat cum sanctis introire lætantes. Amen.

CAPUT X.

De reverentia orationis.

Oratio dicta, quasi oris ratio, etc. Ora ore, clama

corde, voce, opere, ut tibi Deus succurrat semper A diebus et noctibus, horis atque momentis. Cum quieveris in lecto, dic tunc: *Deus, in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina*; et *Gloria* usque in finem. Deinde Orationem Dominicam; qua expleta, dic: *Custodisti me, Deus, per diem, custodi me et in hac nocte, si jubes, et sub umbra alarum tuarum merear esse protectus, Spiritu sancto repletus, munimine regio septus, angelorumque custodia circumdatus, ut in hac nocte, quamvis purum quiescens, somnum capiam pacis, et si quando evigilavero, infra te per soporem sentiam custodem, qui beato Jacob innixus apparuisti scalæ Salvator*. Cum hoc compleveris, fac crucem in fronte et super lectum tuum in similitudine crucis illius a quo redemptus es, hoc B modo †, ita dicendo: *Crucem tuam adoro, Domine, et sanctam resurrectionem tuam credo. Crux tua sancta mecum. Crux est quam ut cognovi, semper amavi, semperque adoro; crux mihi salus, crux mihi defensio, crux mihi protectio semperque refugium, crux mihi vita, mors tibi, diabole inimice veritatis, cultor vanitatis; crux mihi vita, mors tibi semper*. Et item: *Tuam, Domine, † crucem adoro, tuamque ac gloriosam passionem recolo, qui dignatus es nasci, pati, mori ac resurgere a mortuis, qui cum Patre et Spiritu sancto †. Benedictio Patris et Filii et Spiritu sancti descendat et maneat super me servum tuum W. [illegible]. Amen*. Ista crux atque benedictio sit semper cum illis, cujus supra mentionem ego fragilis D. facio frequens, et sicut ros Ermon qui descendit in C montem Sion, vel sicut unguentum in capite fusum declinansque in barbam barbam Aaron, ita infusio Jesu Nazareni Filii Dei descendat et maneat super te ubicunque perrexeris, et super fratrem tuum, qui post te ex meo secundus egressus est utero.

Quod si plus Deo auxiliante fuerint, id consequantur una vobiscum, quod a me invocatum est supra, præstante et adjuvante illo qui vivit et regnat per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

Item.

Cum auxiliante Deo surrexeris mane, vel qua hora tibi permiserit tempus, dic iterum tertio *Deus*, ut supra, deinde Orationem Dominicam: qua expleta, dic: *Deus meus et Deus meus, exsurge, adjuva me, intellige clamorem meum, quam ad te oro mane, exaudi* D *vocem meam, surge et intende in judicium meum, ut sis hodie præsens in causa mea, Deus meus*. Et quid plura, fili? Surgens calcia te, ut mos est, para te in præparatione Evangelii pacis. Decanta horas canonicas, comple officium tuum, ut scriptum est: *Septies in die laudem dixi tibi*. Dic per omnis præparationis tuas capitulas, sicut melius nosti, vel sicut inveneris. Completis ut supra, dic orationes per proprietates horarum, et tunc in nomine Dei summi egredere in servitio tibi accrescente temporali, aut quod domnus et genitor tuus jusserit B., aut senior præceperit faciendum K., ita tamen si Deus permiserit.

Item.

Cum egrederis foras, in mente habe Deum cum signo crucis, et dic: *Miserere mei, Deus Pater, et perfice hodie gressus meos in semitis tuis; deduc me in via tua, et dirige in veritate tua; adjuva me, Deus meus, hodie, et semper, ut non mihi occurrant calumniæ, nec dominetur in me omnis injustitia; sed vivifica cor meum gradiens in bonum, quatenus ea agendo quæ tibi placita sunt, merear, te auxiliante, ad [illegible]rum pertingere*. Dic quoque: *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me; tu es benedictus a quo cuncta bona procedunt, qui vivis*, etc.

XV.

Admonitio erga seniorem tuum exhibenda.

Seniorem quem habes K. [Karolum], quando Deus, ut credo, et genitor tuus B. in tuæ inchoationis juventute florigerum vigorem tibi ad serviendum elegit, adhuc tene, quod est generis ex magno utroque nobilitatis exorto [*Forte*, exortum] progenie, non ita serviens, ut tantum placeas oculis, sed etiam sensui capax, utrumque ad corpus et animam puram et certam illi in omnibus tene utilitatis fidem.

XIX.

Ad propinquos seniorum tuorum.

Inclytos atque præclaros seniori tuo regiæ potestatis eximios parentes atque propinquos tam ex paternitatis illustrem, quam ex matrimonii dignitatum C ascendente originem, si ad hoc perveneris, in cum commilitonibus infra aulam regalem atque imperialem, vel ubique utilis merearis esse servitor, time, ama, venera, et dilige eos, atque in omni negotio utilitatum illorum purum et aptum cum exsecutionibus fidelitate, tam mente quam corpore, certum illis omnibus para obsequium, etc. Tu ergo, fili V., [illegible] obtempera jugum famulantis normam, sisque fidelis seniori tuo K. quisquis ille est, et suis dignis utrorumque sexuum parentibus atque regalium generis ortis. Est enim dignum ita agere tibi, et omnibus in illorum regni imperio militantibus totis nisibus te inter eos utiliter atque fideliter [illegible] serviendum. Deus enim eos, ut credimus, elegit et præelegit in regno, dans illis gloriam ad illam tendentem, con- D formem similitudinis magnæ, quam pollicitus est Abraham, Isaac, et Jacob, prolisque dignis et seminis eorum faciet, ipse Omnipotens almus, Rexque fortis atque præclarior summus conformes atque concordes, genitorumque more pacem sequentes hoc præsenti in sæculo, prosperos fulgere, mundumque cum populo in Dei et sanctorum servitio viriliter regere, protegere, gubernare, et ab hostium et inimicorum undique assurgentium cunctis tendere, atque defendere, sanctamque Dei videlicet Ecclesiam in religione vera firmius coadunare in Christo; videantque proles filiorum suorum digne Deo placentes, crescentes, florentesque, et per multorum annorum curricula ad alta tendentes, etc.

Digitized by Google

XX.

Ad optimates ducum.

Optimates ducum et consiliarios illorum, suisque similibus fideliter servientes, totum in partes, et partes per totum, quisquis ille est, vel sunt fulgentes in aula, ama, dilige, et servi frequenter. Exempla dignitatum illorum perquire humiliter, et tene firmissime. In domo etenim magna, ut est illa, fuitque, et erit post, collationes conferuntur multæ. Unus ibi ab alio potest, si vult, discere humilitatem, charitatem, castitatem, patientiam, mansuetudinem, modestiam, sobrietatem, astutiam, cæterasque cum studio operis boni virtutes. Tu ergo, ut puerulus accrescens, disce a majoribus sensuque capacibus quidquid bonum ab illis auxiliante capi summo poteris almo, ut possis Deo in primis placere, etc.

LX.

Ora pro parentibus genitoris tui, qui illi res suas in legitima dimiserunt hæreditate, qui fuissent, vel quorum nomina in capitulis hujus libelli in fine invenies conscripta. Et licet Scriptura dicat: *In bonis alienis gaudet alius*, tamen eorum, ut prædixi, hæreditates non extranei, sed tuus possidet dominus et pater B. [Bernardus] in tantum quod illi remanserunt, ora hoc possidentes, ora ut eis vivens multo fruaris feliciter tempore. Credo enim quod si digne et humiliter erga eum certaveris, pium tibi ex hoc augebit incrementum frugalitatis dignitatum suarum, sicut cedente prius clementia omnipotentis Dei tuus genitor aliquid exinde tibi jusserit largiri, in quantum valueris per ampliora, ut illi merces accrescat ex eorum animabus, quorum cuncta fuerunt. Ex occupationibus enim multis illi non licet ad tempus. Tu vero dum vales, et licentiam habes, pro animabus eorum jugiter ora. Nec hoc prætereundum est, fili, de illo qui te ex meis suscipiens brachiis, per lavacrum regenerationis filium adoptavit in Christo. Nomen autem ejus appellatum est, dum vixit, domnus Theodoricus [a]: nunc vero quondam nutritor etiam atque amator tuus fuerat in cunctis, si ei licuisset. Suscepit eum, ut credimus, Abrahæ sinus; te quasi primogenitum parvulum relinquens in sæculo, sua cuncta domno et seniori nostro, ut prodesse tibi valerent, in omnibus remanserunt. Pluriora autem et specialia cum plurimis, in nocturnis, matutinis, vespertinis, cæterisque horis per horarum tempora et spatia locorum pro ejus delictis, si aliquid injuste egit, et non pœnituit, in quantum vales, cum valde bonis pluraliter, in quantum potes per orationes sanctorum sacerdotum, et eleemosynas in pauperibus erogando, Domino sacrificium pro eo offerre jubeas frequenter. Cum enim pro eo ad Dominum tuas effuderis preces, dic capitulationes tali modo: *Requiem æternam*, etc. *Anima ejus in bonis demoretur*, *In memoria æterna erit justus*, vel sicut melius nosti. Cum compleveris hoc, dic orationem: *Collocare digneris, Domine, corpus et animam famuli tui* Theodorici *in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitare præcipias, per Dominum.*

LXI.

Missarum namque et sacrificiorum solemnia non solum pro eo, verum etiam pro omnibus fidelibus defunctis frequenter facias offerri. Nulla enim oratio in hac parte melior, quam sacrificiorum libamina. Dicitur de viro fortissimo Juda: *Sancta et salubris est cogitatio orare pro mortuis, et pro eis sacrificium offerre, ut a peccatis solvantur.* Requiescat in pace. Amen.

LXVIII.

Quadrans in quatuor jam habes annos usque perductos. Si proles secundus tot tempus haberet, in sui personam illi alium transcriberem libellum: et si tantum et aliud tantum, et medium dimidii tantum, in annis volvens, ut speciem cernerem tuam, fortiora tibi in verbis prolixis copularem. Sed quia tempus resolutionis non tardat me meum, et ægritudo angustiarum corpus undique conterit, istum tibi et fratri, ut prosit, quod collegi festinans, sciens me ad tempus prædictum pervenire non posse, velut mellifluum potum favumque permistum in cibum oris utile gustes semper adhortor. Tempus namque ex quo ad genitorem tuum perveni, vel tuus ex nobis in sæculo processit status, Kalendis mensarum [*Leg.*, Decembrium] cuncta feruntur in nobis. Ex primo namque hujus versu libelli usque ad ultimam ejusdem syllabam cuncta tibi ad pensum salutis scripta cognosce, et quid ibidem geratur lege capita versorum, ut ad ea quæ subtus sequuntur, facilius valeas ingredi.

LXXI.

Ad me recurrens lugeo.

Ex nimii amoris dulcedine et desiderio pulchritudinis tuæ memetipsam quasi oblitam postponens, januis clausis intus interdum ingredi desidero. Sed quia nec digna in numero sum computari præscripto, tamen rogo ut innumeros numerabili affectu pro animæ remedio meæ orare non cesses. W., tibi non latet, qualiter pro infirmitatibus meis assiduis, et pro certis ex causis, secundum cujusdam sermonem qui ait, *periculis ex genere, periculis ex gentibus*, etc. Hæc omnia vel cætera his similia pro meis præpedientibus meritis in meo fragili sustinui corpore. Auxiliante etenim Deo et merito genitoris tui de his omnibus evasi fidenter; sed in has ereptiones animus meus reflectitur, et recurrentium tempora multis in laudibus divinis pigra remansi, et quod agere debui per horas septenas, septenas septena desidiosa astiti in cunctis. Idcirco supplici affectu totis viribus precor, ut pro meis offensis atque delictis Domini misericordiam jugiter exorare delectet, et me allisam atque gravatam ad superos erigere dignetur. Dum me vivam in sæculo conspicis isto, vigil affectu ita certare stude, non solum in vigiliis et orationibus, sed et in eleemosynis pauperum; ut ex vinculo peccatorum

[a] Theodoricus *an frater Heccardi comitis*, *cujus testamentum apud Perardum, pag.* 25.

Digitized by Google

meorum corporaliter erepta, a pio Judice pie merear esse in omnibus recepta. Est mihi modo necesse tua vel aliorum frequens oratio : erit postea plus et per amplius, ut credo, citius ita esse ventura. Ex nimio amoris dolore, quid in futuris mihi eveniat, valde meus undique animus discutitur; et qualiter valeam in fine liberari, incerta sum ex meritis. Quare? quia peccavi in cogitatione et locutione. Ipsa autem locutio inutilis ad opus pravum usque pervenit. Licet ita sint, de Dei misericordia nunquam desperans ero, nec sum, ero nec unquam : et ut ad recuperationem aliquando pervenire possim, nullum similem tui superstitem relinquo, qui ita certet in me, sicut tu, et multi ex te, nobilis puer, pro utilitatibus domini et senioris mei, ut meum erga illum in marchis, vel in multis locis non vilesceret servitium; nec a te, vel a me, se separasset, sicut mos est, in aliquibus multum me sentio debitis aggravatam. De multis vero necessitatibus, non solum de Christianis, verum etiam de Judæis, multa ex illorum rebus manibus meis frequenter recepi : in quantum valuit reddidi, et in quantum potero semper reddam deinceps. Quod si post meum discessum aliquid remanserit ad solvendum, rogo et supplico, ut tu ipse diligenter exquiras qui sint debitores mei : qui cum reperti fuerint, non solum ex facultatibus meis, si remanserint, verum etiam de tuis quæ habes, et adhuc Deo adjuvante juste acquisieris, cuncta in omnibus facias persolvi. Quid plura? De fratre tuo minimo quid erga illum agere debeas, admonui supra, admoneo deinceps. Hoc rogo, ut si ad id pervenerit tempus, et ipse pro me exorare dignetur. Jam enim quasi utrosque simul admoneo conjunctos, ut sacrificiorum libamina cum oblationibus hostiarum pro me frequenter offerre dignemini, etc.

Finit hic Liber Manualis. Amen. Deo gratias.

NOMINA DEFUNCTORUM.

Quos de quibusdam prædictis supra prætermissis personis his breviatos agnosce, id sunt Willelmus, Cuhngundis, Cariberga, Withburgis, Theodericus Gothzelmus, Guarnarius, Rodlindis. Sunt namque ex prædicta genealogia, Deo auxiliante, jungentes in sæculo, quorum vocatio illi manet per cuncta, qui eos creavit, ut voluit. Quid in his agendum est, nisi dicere cum Psalmista : *Nos qui vivimus, benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum.*

ITEM.

Quisquis de tua migraverit stirpe, quod non est aliud nisi in potestate Dei, quando jusserit, ipse similiter et de domino Ariberto [a] avunculo tuo, rogo tu si superstes fueris, nomen illius cum præscriptis personis supra jube transcribi orando illum.

LXXII.

Cum autem et ego ipsa dies finierim meos, nomen meum cum illorum nominibus jube transcribi defunctum. Quod volo et quasi ad præsens totis flagito nisibus, ut in loco in quo fuerim sepulta, super ipso tecto sepulcri quod operuerit corpus, hos versiculos jube transcribi firmatim, ut cernentes ipsum epitaphium sepulcri, pro me indigna dignas ad Deum jubeant fundere preces S S S. Sed et istum Manualem quem legis, qui legerit unquam verba quæ subtus sequuntur, meditetur ipse, et me jam quasi intus reclusam Deo commendet solvendam.

[a] *Heriberto, qui cæcatus est anno 830, ex Vita Ludovici Pii.*

ANNO DOMINI DCCCXLII.

JONAS

AURELIANENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana.)

Theodulphi successor Jonas monasticum ordinem, in Miciacensi asceterio a se restitutum, inconvulsum esse cupiens, imperiali Ludovici auctoritate communiri curavit privilegio dato XIII Kalendas Martii, anno Ludovici 12, indictione 3. Hic est annus 825, quo conventui apud Parisios de cultu imaginum Kalendis Novembris habito adfuit, cujus ut acta diligenter recenseret, recensitaque Eugenio II summo pontifici legenda exhiberet, legatus a Ludovico Augusto cum Jeremia Senonensi archiepiscopo missus est. Recensetur inter episcopos qui alteri synodo Parisiensi interfuerunt anno 829. Subscripsit partitioni bonorum sancti Dionysii, factæ anno 832 ab Hilduino abbate. In synodo Senonensi anno 833, subscripsit privilegio pro monachis Sancti Remigii Senonensis. Synodo Theodonis villæ anno 835, et depositioni Ebonis Rhemensis archiepiscopi interfuit. Anno eodem cum Hugone comite a Ludovico Pio delegatus est IX Kalendas Septemb., qui Floriacenses in possessionem mitteret villæ Suncanti, quam ab avo suo Pippino iisdem concessam violenter nobiles usurpaverant. Miciacensi monasterio Jonæ ad preces